

0a 93

# Jahresbericht



über

das Königliche Gymnasium zu Marienwerder  
von Michael 1844 bis Michael 1845.

W o m i t

zu der öffentlichen Prüfung aller Klassen der Anstalt  
den 9ten Oktober 1845

ergebenst einladet

der Direktor


Professor Dr. Lehmann.

*Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Dr. Schröder:  
„De praecisis iurandi formis Graecorum et Romanorum.“*

---

Marienwerder, 1845.

Gedruckt bei Friedr. August Harich.



# Tablitz

Eber

das königliche Gymnasium zu Thorn

von Michael 1844 bis Michael 1845

an der königlichen Prüfung über die Naturgeschichte

von dem Oberlehrer J. Eber

KSIAZHNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

~~Thorn~~

93 1697

Thorn, den 1. März 1844

Dr. J. Eber

## De praecisis iurandi formis Graecorum et Romanorum.

**E**x universa quaestione, quam me de veterum iurandi formulis perscripturum esse nuper significaveram, in praesens illum locum selegi, qui est de formula *μὰ τὸν* et similibus. Etenim antiquitus traditum est et usu scribentium confirmatum, consuesse Graecos in iuramentis iis, quae maioris fidei causa sexcenties quotidiano sermoni intexebant, nomen eius dei, per quem iusiurandum conciperetur, interdum reticere atque suppressere, quod deierandi genus sunt qui unis Atticis vindicent. De causa autem eius praecisionis minus constat inter auctores. Schol. Aristoph. 1394. Dind. Ἐθος ἐστὶ τοῖς ἀρχαίοις ἐνίοτε μὴ προστιθέναι τὸν θεὸν, εὐλαβείας χάριν. εἰώθεισαν δὲ τοῖς τοιούτοις ὄρκοις χρῆσθαι ἐπευφημιζόμενοι ὥστε εἰπεῖν μὲν μὰ τὸν, ὄνομα δὲ μηκέτι προσθεῖναι. Schol. Platon. Gorg. 466. E. Ἐλλειπτικῶς ὁμνυσι πρὸς τε εὐλαβείας καὶ πραότητος ἐνδειξιν. Philo Iudaeus De spectacul. II. 271. Mang. Εἰώθασιν γὰρ ἀναφθεγγόμενοι τοσοῦτον μόνον, νῆ τὸν ἢ μὰ τὸν, μηδὲν παραλαβόντες ἐμφάσει τῆς ὀποκοπῆς τρανοῦν ὄρκον οὐ γενόμενον. Gregor. Corinth. pag. 150. Καὶ τὸ ἐλλειπτικῶς ὁμνύειν, μὰ τὸν, μὴ προστιθέντας θεὸν, Ἀττικόν ἐστὶ. Triclinius ad Sophocl. Electr. 1063. Brunck. Νοεῖν χρὴ τοῦτο (omissum μὰ) ἔξωθεν Ἀττικῶς. Οὔτοι γὰρ οὐ μόνον τὸ μὰ λαμβάνουσιν ἔξωθεν, ὡς τὸ Οὐ τὰν, ἀλλὰ καὶ τὸ μὰ τιθέντες τὸ τοῦ θεοῦ παραλείπουσιν ὄνομα. Suidas s. v. Ναὶ μὰ τό. Οἱ ἀρχαῖοι οὐ προπετιῶς κατὰ τῶν θεῶν ὁμνον, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστιγγανόντων, ὡς καὶ Μένανδρος· Μαρίσομαι τὸν Ἀπόλλω ἰοῦιον καὶ τὰς

θύρας.\*) καὶ Ὅμηρος· Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον. καὶ Ἐκάλη εἶπε· Ναὶ μὰ τὸν. καὶ οὐκ ἐπάγει θεόν. Πυθμίζει δὲ ὁ λόγος πρὸς εὐσέβειαν. Τοιούτου σχήματός τε καὶ ἡθους καὶ τὸ Ναὶ μὰ τὰς. ἄς εἶπερ εἶποι τις. Μὰ τὰς Χάριτας. Idem Νῆ τήν, μὰ τήν, ἔλλειπτικὸν κατὰ τὸ Μὰ τὸν καὶ μὰ τὰς. Photius Lex. p. 245. Pors. Ναὶ τάν· οὕτως ὤμνον. Idem p. 257. Νήτην: μάνην (legendum est νῆ τήν: μὰ τήν.). Hesychius οὐ μάνην, οὐκ ἀληθῶς Μένανδρος ἐν Ὀργῇ, de quo loco post dicam. Idem Ναὶ τάν· οὕτως οἱ ἀρχαῖοι, θεῶν ὀνόματα μὴ προστιθέντες.

Tot igitur testium auctoritate moti, licet non ab omni parte consentientium inter se, facile tamen inducemur ad credendum, non unum aliquem scriptorem, neque Atticos tantummodo, sed omnes omnium dialectorum auctores decurtatum illud genus iuramentorum ex communis sermonis consuetudine profectum adoptasse; cum vero nemo illorum grammaticorum totam rem complectatur, sed alter alterius et praeceptis supplementum adstruat et fidem suo testimonio confirmet, nostrum erit, et singulas eius iurisiurandi formas percensere, et quae sit cuiusque origo quaeque religio, exponere. Etenim quum inter omnes illos, quos attuli, sponsors communiter constet, neque neutro genere articulum, neque duali numero, iurantibus adhibitum esse, efficitur, ut hae formae in vulgari Graece loquentium usu versatae esse videantur,

Atticorum et Ionum *ναὶ μὰ τὸν et τήν*  
*ναὶ μὰ τοὺς et τὰς*  
*οὐ μὰ τὸν et τήν*  
~~*οὐ μὰ τοὺς et τὰς,*~~

Atticorum separatim *νῆ τὸν et τήν*  
*νῆ τοὺς et τὰς,*

Doriensium *ναὶ (Boeotorum νεὶ) τὸν et τάν*  
*ναὶ τὰς et τὰς*  
*οὐ τὸν et τάν*  
*οὐ τὰς et τὰς.*

\*) Bentleyus hunc Menandri locum, quod nihil haberet cum formula *Ναὶ μὰ τὸν* commune, in ea autem explicanda et exemplis demonstranda omnis Suidae opera versaretur, sic corrigendam censuit:

*Μαρτύρομαι γὰρ, ναὶ τὸν Ἀπόλλω τουτιονί,*  
*Ναὶ τὰς θύρας.*  
 Cui coniecturae assentiri hoc vetat, quod ne in hac quidem lectione plena et illibata formula *ναὶ μὰ τὸν* comparet, deinde quod *ναὶ* cum solo Accusativo coniungere omissa voce *μὰ*, contra quam supra docuit Triclinius, non Atticum est, sed Doriensium proprium, denique quod deierandi et contestandi verba ipsa non istis voculis *ναὶ* aut *ναὶ μὰ* adduntur, sed aut *μαρτύρομαι τὸν Ἀπόλλω*, aut *ναὶ μὰ (νῆ) τὸν Ἀπόλλω*, negativa oratione *οὐ (μὰ) τὸν Ἀπόλλω* Graece dicendum est. Hanc duplicem legem qui bene reputaverit, ei ne Meinekii quidem coniecturae ab omni parte satisficient, quas binas in Menandr. fragmentt. p. 256 proposuit. Mihi quidem verbum *μαρτύρομαι* a genuinis Menandri verbis alienum esse et in eo ipso corruptionis origo latere videtur; itaque adhibita correctione ea, ad quam ferunt ipsi litterarum ductus, sic Suidae locum rescribendum esse conicio: *ὡς καὶ Μένανδρος μαρτυρεῖ· Ναὶ μὰ τὸν Ἀπόλλω τουτιονί καὶ τὰς θύρας.*

Sunt autem hae formae numero viginti, quem quidquid exsuperat, alienum erit aut secum pugnans, velut *ναὶ μὰ τάν, οὐ τήν, νῆ τάν*, alia. Sed ne illarum quidem formarum, quibus per grammaticorum decreta uti sine dubio licuit (*εὐώθεισαν τοῖς τοιοῦτοις ὄρκοις χρῆσθαι*), par est omnium causa aut fides, sed pleraeque una nituntur coniectura, neque indubitata et expressa antiquorum scriptorum fide ratae esse iubentur. Contestatum est *ναὶ μὰ τόν*; usus est enim hac formula Callimachus in Hecale (apud Suid. s. v. *ναὶ μὰ τό*) et bis Aelianus; probum item est *οὐ μὰ τόν*, vel quod eiusdem potestatis est, *μὰ τόν — οὐ*, quibus uti esse scriptores inde ab antiquae Attidis temporibus usque ad senescentem Graecitatem reperiuntur, Aristophanes comicus et Plato, isque fortasse aut hac aut simili formula etiam saepius\*), et apud Suidam s. v. *φαγεῖν ζῶν* scriptor, quem scriptorem Aelianum esse mihi quidem Toupius (Emendatt. II. pag. 324.) persuasit, et Philodemus, et Strato Sardianus, et Diogenes Laertius, et Agathias et Theophylactus Simocatta. Deinde *νῆ τόν* quoque iuratum esse et quidem atticissantibus, Philoni credi eo magis par est, quod altera forma ab eodem prodita *μὰ τόν* non semel sed saepius apud bonos auctores legitur. Hae si probabilia sunt et si quid ex proportione audere licebit, suspicione liberantur etiam *ναὶ (νεὶ) τόν* et *οὐ τόν*, quarum formarum causa etsi a nullo eorum, qui Dorice scripserunt, suscepta est, tamen non minus Dorienses quam Atticos his decurtatis iuramentis uti solitos, evincit auctoritas Photii et Hesychii.

In his quinque igitur indefiniti iurandi formis, quae commune habent et genus masculinum et numerum singularem, num cuius dei nomen supplendum esset et cuiusnam potissimum, nemo testium aut indicavit aut potuit indicare, neque ipsi antiqui ita iurati certo scivisse videntur. Sed iurasse tamen, etiamsi deum iurativum nullum addidissent, dicuntur ab illis, quorum testimonia supra attuli, grammaticis appellaturque ista compendiarium formula nihilominus *ὄρκος*. Itaque masculino illi genere, ut potiore, utebantur eodem modo, quo Ulixes de Circa loquens Od. X, 573:

*Κίρξη*

*ῥεῖα παρεξελθοῦσα τίς ἂν θεὸν οὐκ ἐθέλοντα*

*ὄφθαλμοῖσιν ἰδοίτ', ἢ ἐνθ' ἢ ἐνθα κίοντα;*

\*) Neque enim mihi probatur, quod voluit Meinekius (Menandr. pag. 131.), a scholiasta Aristophanis Ran. 1394, cum enarrasset Platonem quoque *τῷ τοιοῦτῳ ὄρκῳ χρῆσθαι*, Platonem comicum, non philosophum illius consuetudinis defensorem dictum esse. Nam illum si dixisset scholiasta, non dubito, quin aliquid additurus fuerit, quo, uter auctor laudaretur, planius perspicui posset. Itaque si quis Platonem testem adhibet, is non alium dixisse putandus est, nisi philosophorum Homerum. Neque notandus erat Meinekio Valckenarius, qui se in Platonis dialogis illam, quam dixerat scholiasta Aristophanis, iurandi formulam non reperisse confessus erat (Callimach. fragm. ed. Luzac. pag. 21.). Scilicet ante Heindorffii tempora ne in Gorgia quidem (cap. 49) formula illa legebatur, a scholiasta Platonis nominatim contestata et ad facetissimi simulatoris Socratis sermonem apprime apta, sed fortasse etiam pluribus locis per scribarum ignorantem obscurata.

atque adeo ex vulgari Graecorum usu (Interpp. ad Xenoph. Mem. II, 7, 2. cf. Hermann. ad Viger. pag. 715. ed. II.); singulari autem utebantur numero, quod, etsi in ambiguo relinquebant, per quem potissimum deum iusiurandum concepissent, ad unum tamen aliquod numen ὄρκιον, non ad plura, propendebat et vulgatio Graecorum in deierando consuetudo et natura inclinant quorumvis iurantium animi. Itaque hoc genus iurationis merito refertur ad ellipsin, quum, quacunque causa ab nomenclatione is, qui iuraturus erat, abstinuit, velut moderatione animi motus, vel reverentia deorum, vel etiam affectatione pietatis et simulatione, iurasse tamen et plene quidem, si non ad grammaticam normam, ad affectum certe animi, dici potest. Nec tamen ab una ellipsi, quam vocant, omnia iuramenta manca repetenda sunt: restat alterum genus ad speciem illi affine, sed et ortu diversum, et longius patens, ab obtinentia profectum. Quo antiquos usos esse ibi statuendum erit, ubi, quum qualicunque de causa non ad exitum pervenisset oratio, loquenti et iurare volenti observatum tamen aliquid fuerat, quod ad complendam orationem pertineret, non enunciatum illud, quia aposiopesin supplet gestus et vultus, sed tamen mente conceptum. Quo fit, ut eiusmodi iusiurandum ne factum quidem putetur, idque illud est, quod dicitur a Philone ἐμφάσει τῆς ἀποκοπῆς τρανοῦν ὄρκον οὐ γινόμενον (Reiz. de Inclinat. pag. 14.). Ut vero in superiore familia iuramentorum ab ellipsi repetendorum dominatur masculinus articulus, ita in aposiopesi per rei naturam omnium et generum et numerorum articuli locum habere possunt, quamquam neutrius generis et dualis numeri nullum exstat aut scriptoris exemplum aut grammatici testimonium. Ceterum elliptice an reticenter pro re nata antiqui mallerent iurare, in suo cuiusque arbitrio positum erat, neque in his privatim confabulantium et familiariter consuescentium formulis ullus periurii metus peremptoria lege discretum esse voluit. Neque vero decurtati iurisiurandi maior religio erat quam perfecti et per dei cuiuslibet nomen concepti, et eius quidem, quod ducitur ab obtinentia, fere nulla. Nam omnes iurandi formulae ad ornatum sermonis et ad affectum plurimum valuerunt, ad iustitiam vero et fidem tantum pertinuerunt, quantum quisque maiore erat minoreve sanctimonia et verecundia animi.

Sed iam tempus est, quod de duplici genere iuramentorum praecisorem dixi, exemplis confirmare. Vere igitur, quamquam moderate, iurasse censendus est Socrates apud Platonem Gorg. c. 49: Πῶλος· Οὐκοῦν τοῦτό ἐστι τὸ μέγα δύνασθαι; Σωκρ. Οὐχ, ὡς γέ φησι Πῶλος. Π. Ἐγὼ οὐ φημι; φημὶ μὲν οὖν ἔγωγε. Σ. Μὰ τὸν οὐ σύγε, ἐπεὶ τὸ μέγα δύνασθαι ἔφης ἀγαθὸν εἶναι τῷ δυναμένῳ. quo loco nihil quidem impedit, quominus iurisiurando addatur, quod in quibusdam libris manu scriptis reperitur, Δία, aut quod praebetur a Stobaeo, κῆρα; sed ad πάθος et ad leporem plurimum interest, retineri lectionem scholiastae. Eadem fere, quae Platonis, ratio est iurisiurandi Aristoph. Ran. 1394. et eius epigrammatis, quod in Lyconem se fecisse gloriatur Diogenes Laertius V, 4, 7. Affectatae et religionis et elegantiae Atticorum est Aelian. Histor. anim. III, 19 et IV, 29: Φώκη δὲ, ὡς ἀκούω, τὴν πυτίαν τὴν ἐαυτῆς ἐκροφεῖ, ἵνα μὴ τοῖς ἐπιλήπτοις ἢ ἰᾶσθαι. Βάσκανον δὲ τὸ ζῶον ἢ φώκη καὶ μὰ τόν. — Τῆς δὲ ὄρνιθος ἀπολωλῆιας ἐπωάζει αὐτὸς (ὁ ἀλεκτρονών) καὶ ἐκλέπει τὰ ἐξ ἐαυτοῦ νεόττια σιωπῶν. οὐ γὰρ ἄδει τότε θανμαστῆ τι καὶ ἀποδότην τῆ αἰτία καὶ μὰ τόν. (Scilicet redundat liber Aeliani etiam alibi ementitae pietatis

simulatione, velut IX, 33; XIV, 13 et 28; XV, 11 cett.). Non absimilis est Theophylacti locus Histor. II, 9, nec multum distat Philodemi Epigramma VIII. flagitii et scurrilis dicacitatis plenum ideoque solennis et concepti per aliquem deum iurisiurandi minus capax.

Alterum genus iuramentorum, quod ad reticentiam revocandum esse monui, nulla re melius illustratur, quam Stratonis Sardiani Epigrammate XLIII:

*Εἰ μὴ νῦν Κλεόνικος ἐλεύσεται, οὐκέτ' ἐκεῖνον  
λέξω ἐγὼ μελάθροις οὐ μὰ τὸν..... οὐκ ὀμύσω.*

quem locum in eadem causa ad partes vocavit Reizius et Koenius ad Gregor. Corinth. pag. 151. Similis locus et omisso adeo articulo notabilis est Meleagri Epigr. LII, init.

*Ναὶ τὰν Κύπριν, Ἔρωσ, φλέξω τὰ σὰ πάντα πυρώσας  
Τόξα τε καὶ Σκυθικὴν ἰοδόκον φαρέτρην.*

*Φλέξω, ναὶ..... τί μάταια γελᾶς, καὶ σιμὰ σεσηρῶς  
Μυχθίζεις;*

Peroraturus erat, ni fallor, ναὶ τὰν (Κύπριν), vel simili iureiurando. Cur autem Agathias in Epigrammate LXXXVIII.

A. ὦ ξένη, τί κλαίεις; B. Λιὰ σὸν μόρον. (A. Οἶσθα, τίς εἰμι;

B. Οὐ μὰ τὸν..... ἀλλ' ἔμπης οἰκτρὸν ὀρῶ τὸ τέλος. κ. τ. λ.

sic modeste iuret tanquam qui iurasse nolit, liquet ex praestantissima Jacobsii coniectura, qui fictum cum sermonem esse docet quasi matris mortuae et filii ad illius sepulcrum colloquentium. Itaque filius, quis ibi situs sit, haud ignorans quum sancte et per aliquem deum iurare non possit, ignorari a se matrem, verecundetur autem sese agnoscendum dare et causam luctus profiteri amore motus, ne beatæ mulieris manes infestos habeat propter periurium quoddam, subito coeptum iurandum abrumpit et ita iurat, ut iurasse poenitere non possit. Atque vel quum additur deus iurativus, per aposiopesis fieri posse, ut iusiurandum non factum et patratum videatur, indicio est Aristaenet. II, 16: Ἄλλ' ἔγωγε μὰ τοὺς Ἐρωτας..... μαθήσει δὲ πείρα, καὶ τί χροί με περιπτὸν ἀποτελέσαι τὸν ὄρκον; παρὸν τοῖς ἔργοις ἑμαυτὴν ἐμπεδῶσαι. Deest nimirum post iusiurandum illud haec fere sententia: ἢ μὴν οὐκέτι οὕτως εὐπειθῆ με παρέξω. Sed ceterarum auctoritas formularum angustius se habet; iuvabit tamen illarum cognosse naturam. Suidas igitur, vel quisquis Suidae verba praecivit, quum plerisque iuramentis nullum addidisset interpretamentum, formae ναὶ μὰ τὰς vim hanc esse dixit, ὥσπερ εἶπερ εἶποι τις Μὰ τὰς Χάριτας, et formas νῆ τήν et μὰ τήν ad eandem similitudinem compositas esse. Itaque earum formularum, quae sunt feminini articuli et pluralivi numeri, aliam esse originem atque singularis et masculivi, non obscure significat. Harum enim, nisi facta est aposiopesis, a qua ne masculinus singularis quidem abhorret, interpretatio esse nulla potest (sunt enim fere perfecta sua sponte iurandi), in illis autem omnibus aliquid suppleri potest, quod mente conceptum non pronunciatum est. Non debebat igitur Koenius, vir eruditissi-

mus, ad Gregor. Corinth. I. c. formulae *ναὶ μὰ τὰς* eandem, quam verbis conceptis *ναὶ μὰ τὰς Χάριτας* vim subiectam dicere; negat enim Suidas se hoc usquam docuisse, sed hoc voluit potius, *ναὶ μὰ τὰς* iurantibus aliquas deas ante factum silentium nominatim obversatas esse, poteratque is eodem iure Gratiis ex coniectura multas alias deas substituere: *ναὶ μὰ τὰς Νύμφας* (uti iurat Long. Pastoral. II. pag. 45; III. pag. 73; IV. pag. 120.), vel *ναὶ μὰ τὰς Μοίρας* (Theocrit. II, 160), vel *ναὶ μὰ τὰς Ἐλευσινίας Θεάς* (Alciphr. II, 3), vel *ναὶ μὰ τὰς σεμνὰς Θεάς* (Dinarch. Demosth. 64. Bekk.), vel etiam *ναὶ μὰ τὰς πάσας Θεάς* (Xenoph. Anab. V, 9, 31), vel si diis placet, id quod aliquando lusit Demosthenes, *μὰ τὰς κρήνας, μὰ ποτάμους, μὰ νάματα* (Plutarch. Tom. IV, pag. 390. Wytt.). Hinc non dubium est, quin et *νῆ τήν* et *μὰ τήν* et *ναὶ τάν* et *ναὶ μὰ τὰς* et *μὰ τὰς*, quae formae Suidae et Photii et Hesychii testimonio nituntur, et ceterae quoque formae similes, quas nec grammaticorum nec veterum scriptorum auctoritas tuetur, antiquis in usu esse poterint, quippe per obticentiam excusabiles.

Ex viginti igitur formulis, quas supra posuimus, hae tres plerumque pro perfecta iuratione valent: *ναὶ μὰ τόν*, *οὐ μὰ τόν*, *νῆ τόν*, (similes et pares iurationes Doriensium *ναὶ τόν* et *οὐ τόν* fortuito ab antiquo auctore nullo commemoratae sunt); quae possunt ex obticentia ortae esse, earum novem nominatim proditae sunt: *ναὶ μὰ τόν*, *ναὶ μὰ τήν*, *ναὶ μὰ τὰς*, *οὐ μὰ τόν*, *οὐ μὰ τήν*, *οὐ μὰ τὰς*, *νῆ τόν*, *νῆ τήν*, *ναὶ τάν*; ceterae et fortasse plures etiam (dualis numeri dico et neutrius generis), casu factum est, ut ab antiquo teste non praestarentur.

In tanta igitur multitudine et delectu iurationum, in quibus libidini et audaciae plurimum loci est, cum nonnulli antiquorum scriptorum loci his elegantissimis colorati, ut supra vidimus in Platone, videantur esse oblitterati, non mirum est, quod recentiore tempore multi istos lusus antiquis certatim obtrusum ierunt licet adversantibus saepe atque invitis. Nam formulae *ναὶ μὰ τήν* et *οὐ μὰ τήν* fingi non potest, quam multos invenerint amatores et patronos. Qui si in integris saltem libris antiquis acutos se et sollertes praebuissent, ut ex fusioris orationis perpetuitate iudicari posset, recte an perperam istae formulae adhibitae essent, quippe orationem der repente praecedentibus aptae, facilius posset in utramque partem disputari; sed cum viri docti coniecturas suas fere laceris locis et fragmentis solitariis inferant, ut iam aliorum vituperationem subierunt, ita mihi venia parata erit assensum cohibenti. Namque Hemsterbusio quidem in Theophili fragmento apud Athenaeum XI, c. 44 (Tom. IV, pag. 249):

Οὐδ' ἄν Ἀντοχλῆς

Οὕτως μάτην τήν εὐφροσύμῳ τῇ δεξιᾷ

Ἄρασαν ὤμων.

*μὰ τήν* pro *μάτην* scribenti contigit, ut F. A. Wolfium et Jacobsium nancisceretur adstipulatores, donec Schweighaeuserus, melior coniectior, *μὰ τήν Γῆν* corrigens et Meinekium et Dindorfium expertus est subscriptores. Deinde Menandri fragmentum ab Hesychio proditum *Οὐ μὰ τήν, οὐκ ἀληθῶς*, ut utar Meinekii verbis, dici vix potest, quam largam grammaticis disputandi materiam prae-



buerint. Sed Bentleji coniecturam *μὰ τήν* corrigentis, ab Hemsterhusio et Meinekio probatam improbavere Lambertus Bos, Huschkius, Passovius, alii alia coniectantes. Videlicet haec res ex iis est, quae certo sciri nequeant. Videtur quidem in Hesychiano loco delitescere illud iuramentum, sed nisi locus etiam gravioribus vulneribus laborat, mirum est, quod Hesychius in locutione perquam rara et extra tenorem orationis vix enodabili unum illud vocabulum *ἀληθῶς*, non plura verba pro interpretatione adscripsisse apertiusque dixisse putetur. Infelicius etiam rem gesserunt Abreschius Dilucid. Auctar. pag. 390. et Toupius Emendatt. in Hesych. et Suid. Tom. II, pag. 324; ille in Porphyrii loco *Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωποι πάντες καλῶς ἢ μάτην ἂν ἀγῶνα καὶ νικῶντες ἦσαν καὶ ἠτιώμενοι.* „sensum, inquit, turbat ἢ μάτην, sed dederat, ni fallor, *καὶ μὰ τήν.*“ Quod ne Graccum quidem est; oportuit enim saltem *οὐ μὰ τήν* dictum. Toupius vero in Damascii apud Photium loco *Γυναῖκα παιδοποιὸν ἄγεται. ὡς δ' οὐκ ἐπέιδετο τὸ δαιμόνιον τῆς γυναικὸς ἐξελεῖν λόγους ἡμερωτέροις, ὅρκῳ αὐτὸ ἐπηνάγκαζεν ὁ Θεοσέβιος, καίτοι οὔτε μαγεύειν εἰδὼς, οὔτε θεουργίας μάτην μελετήσας.* diducto vocabulo *μὰ τήν* scribi iussit. Cui utrique loco non video quidni conveniat *μάτην* i. e. tamere, inconsulto, *ἀνεξετάστως*, quae est glossa apud Sophocl. Oed. R. 609:

*Οὐ γὰρ δίκαιον, οὔτε τοὺς κακοὺς μάτην*

*Χρηστοὺς νομίζειν, οὔτε τοὺς χρηστοὺς κακοὺς.*

Itaque utriusque coniectura, ut verum fatear, — *ἐκ πίνακος καὶ πυλαίας*. Postremo Toupius eandem coniecturam non verecundatus est ingerere Plutarcho Cleom. c. 4: *Ὁ Κλεομένης ἐθρασύνετο πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τῶν παλαιῶν τινος αὐτοὺς ἀνεμίμνησκε βασιλέων, εἰπόντος, ὅτι μάτην Λακεδαιμόνιοι πυνθάνονται περὶ τῶν πολεμίων, οὐ πόσοι εἰσὶν, ἀλλὰ ποῦ εἰσιν.* Quo loco hoc certe bene cessit, quod in continenti ac perpetua oratione facilius fuit iudicii temeritatem effugere. Ac primum hoc patet, obtinentiae apud Plutarchum nullum locum dari, sed Cleomenis, vel Agidis dictum uno tenore et sine ulla vocis intermissione esse pronuncianum. Deinde a ratione absonum est, quod Laconum regem Toupius non saltem per τὸν Ἐννάλιον (Plutarch. Apophth. Lacon. Tom. I. p. 934), vel τὸν σιῶ (Aristoph. Lysistr. 983; Xenoph. Hellen. IV, 4, 10), vel per alterum Castorem (Aristoph. Lysistr. 988.), vel per alium aliquem deorum ex robustiore cohorte, sed per deam inducit iurantem idque ne explicate quidem aut expresse, sed minutatim et eorum more, qui in lutorio vel in amatorio sermone faceti esse volunt. Tum ego in legendis Plutarchi operibus hoc mihi animadvertisse videor, rem aliquam per varias seduli scriptoris disputationes saepius ab eo traditam aut fere iisdem verbis narrari solere aut leviter modo inflexis. Atqui legitur vox illa regis Laconici praeter illum locum etiam Apophth. regg. et imperatt. Tom. I. pag. 755. et Apophth. Lacon. I. pag. 859. Utrobique Agidis esse perhibetur. Legitur idem dictum sub eiusdem Agidis nomine etiam apud Stobaeum Serm. VII. (Tom. I. pag. 194. Schow.), fortasse ex ipso Plutarcho huc translaturum. Sed illud *μάτην*, quod in Cleomenis vita merito offensionem est, nusquam deprehenditur. His ego causis in eam sententiam deducor, ut iusiurandum decurtatum ab illo loco alienum et vocem suspectam, ut suppositiciam, abiiciendam esse putem. Fortasse *μάτην* aliquis eorum, qui

Plutarchum legebant, in margine codicis sui adscripsit significabatque, frustra Lacedaemonios a Cleomene pristinae maiorum fortitudinis admonitos esse, utpote paris virtutis non iam potentes.

Reliquum est, ut de quinque Luciani locis disputem, qui emendationem videntur exspectare. Sunt autem hi: Fugitiv. c. 29: Ἡρακλῆς· Χαῖρε, ὦ ἀριστε καὶ μουσικώτατε Ὀρφεῦ, οὐκ ἐπιλέλησαι γάρ πον Ἡρακλέους. Ὀρφεύς· Νῆ καὶ ὑμεῖς γε, ὦ Φιλοσοφία καὶ Ἡρακλῆς καὶ Ἐρμῆ. Dial. deor. XX, 7: Ἐρμῆς· Χαῖρε, ὦ βουκόλε. Πάρις. Νῆ καὶ σύγε, ὦ νεάνισκε. Ibid. XXII, 1: Πάν. Χαῖρε, ὦ πάτερ Ἐρμῆ. Ἐρμ. Νῆ καὶ σύγε. Dial. mortuor. XX, 3: Μένιππος. Χαῖρε, ὦ Εὐφροβρε, ἢ Ἀπολλων, ἢ ὄ, τι ἂν ἐθέλης. Πυθαγ. Νῆ καὶ σύγε, ὦ Μένιππε. Timon. c. 46: Γναθωνίδης· Χαῖρε, Τίμων εὐμορφότατε καὶ ἡδίστε καὶ συμποικιώτατε. Τίμων. Νῆ καὶ σύγε, ὦ Γναθωνίδη, γυπῶν ἀπάντων βορώτατε. In his locis admodum similibus offensionem habet νῆ a communi et antiquitus tradito usu deflexum. Quae causa movit Popponem, ut, quum Dialogos mortuorum ederet, νῆ in ναί mutaret et communem consuetudinem contra codicum fidem restituere sibi videretur. Aliam viam ingressus Lehmannus Tom. II. pag. 360 maj. ed.: „Quid impedit, inquit, quominus decurtatum quoddam iusiurandum statuamus, quo posterioris Graecitatis homines in vulgari maxime sermone usi fuerint. Certe quatuor, quae nunc mihi nota sunt“ (mihi quinque innotuerunt) „horum librorum loca, ubi certa est et constans omnium exemplarium scriptura, sic leviter in gratiam modo Grammaticorum mutare religioni habebam. Caveatur modo, ne particula νῆ pro praepositione proprie sic dicta sumatur, et remota iam erit gravissima novae huius, si diis placet, ellipseos offensa.“ Mihi vero neutrius sententia satisfecit. Nam sive ναί scribis, sive νῆ retines, certe non iuramentum est, ne decurtatum quidem, neque fit aposiopesis. A plebeiis autem hominibus per soloecismum a consueta vocis νῆ syntaxi descitum esse, probandum aliquo documento Lehmanno erat. Huc accedit, quod ne certa quidem et constans est tam, quam affirmat Lehmannus lectio. Nam in Timone certe et in dialogo mortuorum a codice Augustano praebetur lectio νῆ Δία. Iam vero quum, ut ait Plato (Diog. Laert. III, 63), princeps pars humanitatis sit consalutatio, apud antiquos morem fuisse videmus, ut, qui amice salutati essent, ne vinci viderentur comitate sed gratum et exoptatum esse sibi salutantis occursum significarent, redditam salutem haud raro confirmarent iuramento, non decurtato et Lehmanniano, sed integro ac legitimo. Aristoph. Ran. 164:

Ἡρακλῆς. Καὶ χαῖρε πόλλ' ὠδελφέ. Λιόνυσος. Νῆ Δία καὶ σύγε  
Ἰγίαινε.

Plutarch. Bruta ratione uti cap. 2: Γρύλλος. Χαῖρε, Ὀδυσσεῦ, Ὀδυσσεύς. Καὶ σὺ, νῆ Δία, Γρύλλε. Plaut. Trinum. I, 2, 10:

Callicl. O amice salve atque aequalis: ut vales,

Megaronides? Meg. Et tu Edepol salve, Callicles.

Call. Valen'? valuistin'? Meg. Vaieo et valui rectius.

quo loco ita festinat Megaronides ad salutem religiosius reddendam, ut, quid ex eo quaesitum esset, oblitus denuo interrogetur necesse sit. Terent. Heecyr. I, 2, 7:

Parmeno. Philotis, salve multum. Philotis. O salve, Parmeno.  
 Syra. Salve Mecastor, Parmeno. Parm. Et tu Edepol, Syra.

ad quem locum animadvertit Donatus: „Olim salutantes addebant iusiurandum, ut hoc sedulo facere viderentur.“ Similis affectus causa Graeci tragici, a quibus aliena sunt vulgatissima illa in quotidiana vita iuraturanda, salutationibus saltem interiectionem  $\omega$  praemittere solent (Porson. ad Eurip. Orest. 470. et Elmslej. ad Med. 648). His de causis, ut redeat, unde egressa est oratio, ita demum Lucianum restituere videmur, ut Augustani codicis vestigia secuti illic quinques pro  $\nu\eta$  scribamus  $\nu\eta$   $\Delta\iota\alpha$  et praeclarum istud fortissimi editoris iusiurandum pro eo ac meruit in perpetuum relegemus.

Extremum est, ut, quae apud Romanos reperiantur praecisa iuramenta, videamus; sed de his multo paucioribus defungi licebit. Romanorum enim iurandi formulae Mehercules, Mehercule, Mehercle, Mecastor, Ecastor, Edepol [Epol], Equirine, Eiuno, Ecere [Ecer], Medius fidius, fortasse etiam Edi et Medi, cum pro integra sententia ponantur (Ita me Hercules amet, iuvet), ita iam sunt ipsae per se decurtatae, ut denuo in brevius contrahi non poterint. Quare nisi haec ipsae interiectiones pro ellipsi iurisiurandi accipiantur, a Graecis tamen ita discretas, ut deorum iurativorum nomina quasi per involucrum recognosci patiantur: nullum reperitur apud Romanos iusiurandum, quod cum tralaticio Graecorum iuramento  $\mu\grave{\alpha}$   $\tau\acute{o}\nu$  comparari possit. Obtentivae autem in iurando exempla non prorsus desunt. Etenim cum mos esset Romanorum, ut in fide publice privatimve danda, si fallerent, se ipsi execrarentur in eaque execratione omnis vis iurisiurandi inesse crederetur (Plutarch. Quaest. Rom. 44.): sicuti Graecis in conceptis formulis consporem fidei deum omitti interdum placuit, ita Romani in familiari sermone, facta quasi pactione et conditione, qua se quid facturos aut non facturos appromitterent, nonnunquam per aposiopesis omittebant execrationem. Cic. pro Ligar. 10: Si unquam posthac..... Supple: *(tale quid iterum commiserit-commisero-), habeat-habeam-per te summum infortunium. Infortunium enim habiturus esse dicitur filius, ni pareat patri (Liv. I, 50. fin.)*. Apud patrem autem isto modo agi solere, si cuius delicti filium poeniteat et stomachantis patris animum reconciliare instituat deprecator, refert Cicero. Itaque non nimis dira execratio suppleri debet. Quamquam illud mihi frigere videtur, quod Ciceronis interpretes suppleant non deprecabor, inducti illi loco Terent. Phorm. I, 2, 92:

Ceterum

Posthac si quidquam ..... nihil precor.

Hoc enim loco non pro filio apud patrem, sed pro servo apud dominum agi dicitur, ad quam rem minus efficaces preces adhiberi solent:

Tantummodo

Non addat: Ubi ego hinc abiero, vel occidito.

Multo autem fortior, quam deprecantis, graviter irascentis execratio esse debet per aposiopesis  
omissa Terent. Adolph. I, 2, 55:

Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.

Jam si verbum unum posthac . . . . .

Supple:

(faxo), pessumis

*Me exemplis perdit magnus ille Juppiter!*

Cf. Terent. Andr. IV, 4, 51: Si pol Glycerio non omnia haec . . . . .

**G. A. Schroeder.**

**E r r a t a .**

- Pag. 3. lin. 7. post Aristoph. lege: Ran.
- 5. - 26. pro *κοιόντα* lege *κίοντα*.
- 9. - 1. - praebuerint lege praebuerit.
- 9. - 14. - tamere lege temere.

Ceterum  
Posthac si quid dixerim . . . . . nihil precor.

Hoc enim loco non pro illo quod praeterit, sed pro seruo quod dicitur ad quam rem  
nihil effectus precor adhiberi solent.

Tantummodo  
Non dicitur: *Ubi ego hinc abiero, vel occidit*

# Jahresbericht

## von Michael 1844 bis Michael 1845.

### A. Allgemeine Lehrverfassung.

(W. = Winterhalbjahr. S. = Sommerhalbjahr.)

#### I. Prima.

Ordinarius: Herr Prorektor Dr. Gützlaff.

Deutsch. 3 St. Literaturgeschichte von Ulfilas bis Luther, nach Koberstein, mit Anschluss der Lectüre (namentlich ward ein Theil des Nibelungenliedes in der Ursprache gelesen); grössere Ausarbeitungen, kleinere Aufsätze, Extemporalien und metrische Uebungen; Vorträge eigener Reden; Leitung der Privatlectüre; in ausserordentlichen Stunden während des Winterhalbjahres Lesung klassischer Dramen. Der Direktor. — Latein. 3 St. Cic. de off. und Terent. Andria. 3 St. Exercitien, Aufsätze, Extemporalien, metrische Uebungen und Disputirübungen. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Horat. carm. l. I u. IV, carm. saec., Epod., sat. l. II, Epist. l. I, mit Memorirübungen verbunden. Hr. Oberl. Gross. — Griechisch. 5 St. Platon. Jon, Hipp. maior, Lysis, Menexenus und Hipp. minor; Hom. Il. XVII bis XXIV; Extemporalien und Grammatik. Der Direktor. — Französisch. 2 St. Lectüre in Graesers Poesies de V. Hugo, de Lamartine etc.; Exercitien und Extemporalien mit Anschluss der Gramm.; Sprechübungen. Hr. Graeser. — Philosophische Propädeutik. 1 St. Logik nach Trendelenburgs Einleitung in die aristotelischen Elemente. Hr. Oberl. Baarts. — Religion. 2 St. Einleitung in die christliche Religionslehre nach Schmieder Einl. II, III, IV und das Innere der christl. Religionslehre nach Smieder I bis IV. Lectüre des Evang. Johann.; Geschichte des Christenthums in den ersten 3 Jahrhunderten und von den altkirchlichen Symbolen. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Repetition der gemeinen Arithmetik und der grösste Theil der allgemeinen Arithmetik; Stereometrie nach Grunert. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 2 St. Allgemeine Eigenschaften der Körper, Grundgesetze der Bewegung; Statik und Mechanik fester, flüssiger und luftförmiger Körper. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Naturbeschreibung. In ausserordentlichen Stunden Wiederholungen aus den 3 Naturreichen. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Geschichte und Geographie. 3 St. Neuere Geschichte nach Ellendt § 1 bis § 28; Repetition der alten Geschichte und alte Geographie von Griechenland, Asien und Afrika. Hr. Oberl. Gross. —

#### II. Sekunda.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Schröder.

Deutsch. 1 St. Lectüre (in Lehmanns Borussia; ausserdem Maria Stuart von Schiller, Iphigenie von Göthe). Der Direktor. 2 St. Poetik, Disputirübungen, Aufsätze. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 3 St. Liv. I, Cic. pro Sulla, pro Murena 1—20. 4 St. Exercitien, Aufsätze, Extemporalien, metrische Uebungen, Memorirübungen, Grammatik (die ganze Syntax nach Zumpt). Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Virg. Aen. l. VI bis IX. Hr. Oberl. Raymann. — Griechisch. 4 St. Gramm., Exercit. und Extemporal.; Arrian, I bis V. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Hom. Od.

IX—XIII. Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Hebräisch. 2 St. Grammatik nach Gesenius; Lectüre in Gesenius Lesebuch. Hr. Oberl. Raymann. — Französisch. 2 St. Lectüre in Beauvais Etudes historiques T. III; Sanguins Gramm. § 538 bis § 696; Exercit. und Extemporal. Hr. Graeser. — Religion. 2 St. Schmieders Einleit. in die christl. Religionslehre I—V. Das Innere derselben, III, V und VI; Lectüre des Buches Hiob. Darstellung der aussertestamentl. Religionen vor Christo. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Wiederholung der gemeinen Arithm., Buchstabenrechnung, Theorie der Potenzen, Wurzeln und Logarithmen, Gleichungen des ersten Grades mit Einer und mehreren Unbekannten, Gleich. des zweiten Grades mit Einer Unbek. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 1 St. Allgemeine Eigenschaften der Körper, Statik und Mechanik fester Körper. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Geschichte und Geographie. 3 St. Das Mittelalter nach Ellendt bis § 43. Geogr. von Europa. Hr. Oberl. Baarts. —

III. T e r t i a m .

Ordinarius: Herr Oberlehrer Gross.

Deutsch. 1 St. Poetische Lectüre in Lehmanns Borussia und Lesebuch. Der Direktor. 3 St. Prosaische Lectüre; die Lehre vom verbundenen Satz nach Götzinger; Metrik nach Gotthold; Aufsätze; Deklamiren. W. Hr. G. L. Kaulfuss. S. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 6 St. Zumpt Gramm. bis zur Synt. ornata; Memorirübungen; Exercit. und Extemp.; Caes. b. G. I—V. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Ovid. Met. IV bis IX mit Auswahl. W. Hr. G. L. Kaulfuss. S. Hr. Oberl. Raymann. — Griechisch. 4 St. Gramm. nach Buttman bis § 117 und § 147; Lectüre in Jacobs 2tem Kursus und Xen. An. I. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Hom. Od. I u. II. Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Französisch. 2 St. Charles XII. von Voltaire VII. u. VIII., I. u. II.; Exercitien nach Sanguins Gramm. §. 198—§. 425. Hr. Gräser. — Religion. 2 St. Von den christl. Bundeshandlungen, vom christl. Wandel und von der Zukunft nach dem Tode. Lectüre des Evangel. Lucä mit vorausgeschickter Einleitung in das N. T. Das 4. u. 5. Hauptstück. Sprüche und Lieder aus Lehmanns Gesangbuch. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Geometrie nach Grunert bis Kap. 16. Buchstabenrechnung, Lehre von den Potenzen, Dezimalbrüche. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Naturbeschreibung. 2 St. Anthropologie; Zoologie nach Burmeister. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Geschichte u. Geographie. 3 St. Griechische und Römische Geschichte nach Ellendt. Voigts dritter Kursus; Kartenzeichnen. Hr. G. L. Reddig.

IV. Q u a r t a .

Ordinarius: Herr Oberlehrer Baarts.

Deutsch. 3 St. Satzlehre nach Götzinger; Lectüre in Lehmanns Lesebuch; schriftliche Arbeiten, Deklamationen. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 5 St. Gramm. nach Zumpt; Exercit. u. Extemporal.; Memorirübungen. Hr. Oberl. Baarts. 3 St. Lectüre in Ellendts Materialien. Hr. Oberl. Ottermann. — Griechisch. 6 St. Gramm. nach Buttman bis zum Verbum in *uo*. Lectüre in Jacobs. W. Hr. G. L. Reddig. S. Hr. Dr. Kossinna. — Französisch. 2 St. Aussprache, Artikel, Zahlwort, Hülsverba, regelm. Konjugation; Lectüre leichter Stücke. Hr. Gräser. — Religion. 2 St. Die Lehre von Gott, der Schöpfung, der Sünde, der Gnade, von Christo, der Kirche und den Gnadenmitteln. Das 4. und 5. Hauptstück; Wiederholung der ersten 3 Hauptstücke. Lectüre der Psalmen mit vorausgeschickter Einleitung ins A. T. und Auswendiglernen einzelner Psalmen; Lieder aus Lehmanns Gesangbuch und Sprüche. Messianische Stellen. Hr. Oberlehrer Baarts. — Mathematik. 3 St. Dezimalbrüche und Rechnungen mit Proportionen. Geometrische Vorübungen. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Naturbeschreibung. 2 St. Mineralogie u. Botanik. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Geschichte u. Geographie. 2 St. Preussische Geschichte nach Heinel; Griechische Geschichte. Voigts geogr. Leitfaden 3. Kursus; Kartezeichnen. W. Hr. G. L. Kaulfuss. S. Hr. Oberl. Ottermann.

V. Q u i n t a.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Ottermann.

Deutsch. 5 St. Lectüre in Lehmanns Lesebuch, Gramm. nach Göttinger; mündliche und schriftliche Uebungen; Deklamiren. Hr. Dr. Kossinna und Hr. Oberlehrer Ottermann. — Latein. 6 St. Gramm. und Gedächtnissübungen; mündliche und schriftliche Exercit. Hr. Oberl. Ottermann. 3 St. Lectüre in Ellendts Lesebuch. W. Hr. Dr. Kossinna. S. Hr. Oberl. Ottermann. — Religion. 2 St. Die Lehre Jesu Christi in gedrängter Uebersicht, das Erlösungs- und Veröhnungswerk bei der Lectüre der wichtigsten Momente aus Jesu Leben und Wirken nach der Bibel entwickelt. Das 1., 2. u. 3. Hauptstück. Lieder aus Lehmanns Gesangbuch und Sprüche. Hr. Oberl. Baarts. — Rechnen. 3 St. Rechnen mit benannten Zahlen, Bruchrechnung und einfache Verhältnissrechnung. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Naturbeschreibung. 2 St. Die Klasse der Säugethiere; die niederen Thiere nach Burmeister. Hr. S. A. K. von der Oelsnitz. — Geschichte. 2 St. Geschichte der alten Völker nach Bredow. Hr. G. L. Reddig. — Geographie. 2 St. Voigts 2. Kursus. Kartenzeichnen. Hr. G. L. Reddig.

VI. S e x t a.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Raymann.

